



1
D. JOANN. CAROL. ERNEST.
MÜNTER


TRACTATIO

DE

MATRIMONIO ROMANO

IN SPECIE

DE CONFARREATO.



GOETTINGAE,

APVD JOHANN DANIEL GOTTHELF BROSE. 1787.





§. I.

Lucubrationum mearum primitias edituro, ac jurisprudentiae elegantioris aliquam materiam publica, pro more, disceptatione excutiendam, elaboraturo, oppurtene veteris Romani matrimonii disciplina mihi sese offert. Quo quamvis in argumento tot tantaque insignia jam existant juris interpretum opera a), tenue vix spicilgium mihi relictura, non parum tamen lucis huic vel illi Themidis Romanae parti accessisse, liquet, si plures eandem ingressi viam idem, tractavere argumentum. Etiam si autem jam olim commentationum nostrarum, digressionum ac praelectionum immensus, alius super alium, acervatus sit cumulus, perraro tamen opera recentiorum oneri reipublicae literariae fuisse inveniemus, nec est, quod haec evolvuisse nos pigeat. Faciliores enim nobis redduntur conatus nostri aliorum studio, quorum scriptis uti, quorumque vestigiis inhaerere fas

Δ

1
fas est. Veriora novis investigationibus edocti, discrepantes modo eorum conciliamus sententias, modo eadem, sed e diversis veluti fontibus manantia probamus, quamque illi inutilibus saepe demonstrationibus rei satis clarae offudere caliginem, discutimus, praetermittentes supervacanea argumenta probationesque otiosas, quum obscuriori materiae illustrandae vel unicus saepe e veterum monumentis locus sufficiat.

a) Specialiter hac de materia differuere BAPT. CASALIVS de jure conub. BARN. BRISS. de vet. ritu nupt. PHIL. LVDOV. HANNEKENIVS de cura domest. Rom. Diss. I. in SALENGERI thes. ant. ANT. HOTOMANN. de veteri nupt. ritu FRANC. HOTOMANN. de sponsalib. & ritu nupt. & matrim. THOMAS. de usu pract. doct. inst. de nupt. TIRACQUELL. de legib. nuptialib. PETR. GREGOR. syntagm. juris univ. libr. 9. per totum THOM. TREVISATVS Venetus, THADAEVS PRISO Soaccivs tract. de sponsalib. matrim. & eorum privileg. SIGON. aut. jus C. R.

§. 2.

Juris hodierni, quod ad matrimonia pertinet disciplinam investiganti, imprimis ea disquirenda sunt, quae prima antiquitas in ista re interdum mira instituit. Quibus penitus intellectis, dijudicari poterit, qua ratione matrimonium exiguis & rudibus plane ab initiis, a nuptiis scilicet, primorum cum Sabinis puellis Quiritium, vi & armata manu contractis, post tot praeterlapsa saecula tot immutationes passum, hodiernam induerit formam. Quod nisi utile, jucundum certe erit. Huic autem facilius exhauriendo labori haud parum sub-

veniret

veniret titulus pandectarum, de ritu nuptiarum inscriptus, nisi **TRIBONIANVS** veterum mores Romanorum adeo neglexisset, quorum plane incuriosus ne particulam quidem libro suo inseruit, ad saeculi sui seclam solum respiciens; quamquam, recte notante **THOMASIO**, cui suffragatur **HEINECCIUS**, veteres **JCI** hanc materiam tractantes, agri sui mores diligenter enarrasse videantur. Nos itaque destituti a **TRIBONIANO** hunc defectum e veterum scriptorum monumentis sanare studebimus c), corpore juris interea e manu dimisso.

a) De usu pract. doct. J. de nupt.

b) Antiquit. tit. de nupt.

c) Quamvis hac de re plane fileat **TRIBONIANVS** injuste tamen eum accusari arbitror. Non enim juris *veteris* historiam scribere, sed omnia foro Romano accommodata colligere atque in unum corpus conferre ab imperatore erat iustus.

§. 3.

Naturalis matrimonii ratio consistit secundum **HEINECCIUM** a) in viri & mulieris conjunctione, ad liberos procreandos comparata. Mihi vero, quod pace illustris viri dixerim, magis e re videtur adde; ad sobolem non solum procreandam, verum & alendam, donec sibi ipsi victum quaerere possit. Si enim **VLPIANVS** b) Stoicorum scitis ductus, jus naturae recte definit, illud puta, quod natura cunctis ingeneravit animalibus, ab his, quantum ad instinctus pertinet, argumentando ad hominem progredi, nullus dubitem c). Quae concessa comparatione, sane erubesceret homo, si, matrimonio faciendae solum libidinis gratia contracto, proli suae negaret alimenta

4
quum tamen a brutis contra fieri quotidie intelligat. His ductus argumentis definitio matrimonium secundum jus naturae; *maris & feminae conjunctionem, procreandae, alendae atque educandae proles gratia initam.* Nititur haec mea definitio l. 1. §. 3. ff. de J. & J. ubi sic Vlp. Jus naturae est, quod natura omnia animalia docuit. — — — Hinc descendit maris & feminae conjunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio; hinc *educatio d).*

a) Elem. juris civ. tit. de nupt. §. 146.

b) l. 1. §. 3. ff. de J. & J.

c) Ait enim ipse Vlp. l. c. videmus enim cetera quoque animalia, feras etiam, istius juris peritia censer.

d) Hac naturali pietate ductus videtur etiam aequissimus ille JUSTINIANVS parentibus liberos alendi necessitatem imposuisse L. §. 1. ff. de agn. & alend. lib. cui haud obstat L. 9. C. de patr. pot. ubi de tribus annis majore solum sermo est. GOTHOFREVS enim probavit ad dictam legem, veteres, elapso demum triennio, liberos a mamma depellere consuevisse.

§. 4.

Simplex haec matrimonii notio tum jure civili Romano, tum decretis pontificum Romanorum, conciliorumque canonibus, tum denique evangelicorum principiis, ad simplicitatem sacrae scripturae revocatis, totidem novis formis velata est, de quibus aliquantulum disputare hujus loci videtur. Modestinus a) Romanorum connubium hoc modo definit; *est maris & feminae conjunctio, consortium omnis vitae, Divini & humani juris communicatio.* Jus pontificum
sic

fic statuit, b) sacramentum esse laicis proprium, quo mas & femina secundum praecepta ecclesiae conjunguntur: protestantes per conjunctionem maris & feminae, divinitus institutam, ad procreationem & educationem sobolis & mutuam vitae adjutorium, ineundam, explicant c).

a) L. i. ff. de ritu nupt.

b) c. sicut 2. c. 32. qu. 2.

c) Secundum Heineccium est maris & feminae conjunctio indissolubilis, quod tamen addere vix ausim. Justa enim interveniente causa solvi potest. Excusandus tamen ille noster. Certe enim loquitur de matrimonio in genere considerato, quod sua natura indissolubile esse debet, nisi justa vel antecedat, vel subsequatur causa, solutionem efficiens.

§. 5.

In hoc tertio itaque, quod matrimonium sit maris & feminae conjunctio, procreandae sobolis gratia inita, omnia omnino jura amice conspirant, diversa tantum ratione formae, quam quodlibet pro placitis suis immutavit. Nos de reliquis parum solliciti, eas tantum, quas praeci de connubiis sanxere leges Romani, perscrutabimur, quamvis angusti quam exsudamus, dissertationis limites, totam hanc exhaustivam doctrinam haud permittant. Quantum vero illos, non tamen supra modum extendere licet, tentabimus, veterum scriptorum vestigiis inhaerentes.

§. 6.

Civitatis maxime interesse, civium crescere numerum, jam a primis republicae cunabulis Quirites, nec non majores nostri mi-

aus politi, animadvertere, praemia adeo multorum liberorum parentibus a) & poenam celibatui statuentes. Unde factum est, ut orbitatem scdulo caverent Romani, pluribusque ejus evitandae modis excogitatis b), honorificum haberent patris nomen. d)

a) Lex Julia & Papia Poppaea ab Heineccio nostro egregie illustrata,

Conf. LUD. HANNEKENIUS de cura dom. R. D. I. p. 91.

b) Nimirum adoptione, emancipatione.

c) Cic. de finib. L. V. c. 28. idem de legib. L. III. c. 2.

d) Cic. de finib. L. V. c. 28. idem de legib. L. III. c. 2.

§. 7.

Quamvis autem Romani ad connubiorum studium cives adeo excitarent, haud tamen omnia eodem favore prosequuti sunt, aegre admissis quibusdam, aliis plane prohibitis; nationis, status, ordinis sanguinisque habita ratione.

I. *Nationis*: ne scilicet civis Romanus cum sponsa, quae civitate carebat, genialem censenderet torum. Nuptiae enim, connubium vel matrimonium solum civis Romani annumerabantur praerogativis, sui vel juris esset, vel patriae adhuc subjectus potestati, modo hoc posteriori casu pater assensum haud denegasset a). Non abs re nuptias-connubium & matrimonium hic enumeravi, quorum compotes soli erant cives Romani. (Hinc vetus Glossarium: *nuptiae legitimum matrimonium*; hinc Servius: *connubium est jus legitimi matrimonii* & Ulp. b) *connubium habent cives R. cum civibus R.*) Matrimonium enim Heineccius c) pro conjunctione jure civili reprobata, venditat; cui tamen suffragari opinioni haud sinit lex ab ipso allegata d), ubi

VOX

vox matrimonium omni maris & feminae sub affectu maritali initaе
 conjunctioni convenit. Ait enim Ulp. *sive justa uxor sive injusta*;
 nec ita multo post, utramque voce matrimonii complectitur, cuius
 marito viam accusationis patefaciens, adjungitque e) (quia nec matri-
 monium qualecunque (justum scilicet, sive injustum.) violare permit-
 titur. Quin in jure nostro matrimonium & nuptiae legitimae synd-
 nimice valent. f) Hoc itaque largior, vocem *matrimonium* aequę
 justam, ac jure reprobataм designare conjunctionem, quia passim in
 jure [matrimonium & illegitimae nuptiae conjunguntur. g) Num-
 quam tamen concedam, illegitimas hoc solum nomine insigniri con-
 junctiones. Quam contra sententiam & ipsam vetus glossarium &
 Servius modo allegatus militant. Connubium itaque inter solos cives
 R. fuit usitatum. Sed quaeritur, quinam fuerint cives R. Illi scili-
 cet, qui jure Quiritium gaudebant, quod sequentibus conti-
 nebatur partibus, jure connubii, togae, patriae potestatis, testa-
 mentorum, immunitate a vinculis, quaestione, vitae supplicis, tribuum
 privilegio, honorum petitione, ac jure commerciorum. h) Civita-
 tis autem non solum natione Romani sed integrae etiam gentes ex-
 terae participes fuerunt, ea interdum donatae, nec non singuli homi-
 nes, qui speciatim togae impetrabant usum, quam nemini, nisi Ro-
 mano civi gestare fas erat, qua adeo, quoties prodiret in publicum
 indutus esse debebat i) ut ne in media Asia eam cum pallio permu-
 tare liceret. Unde Cicero in excusando Papirio Posthumo elaboravit
 qui in Sicilia palliatus iacesserat, ea de re ab adversariis accusatus.
 Peregrinis toga erat interdicta k) nisi interdum togae jure amici po-
 puli



puli Romani donarentur, quod & novae Carthagini contigisse refert Tertull. l) Inde nomen rogatae Galliae, quam honores ambuisse, & jus suffragiorum in urbe obtinuisse Manutius testatur. m) Nullae porro nuptiae deditiis libertinis, e lege Aelia Sentia deditiorum conditioni adscriptis, Latinis, ac Latinis Junianis cum cive Romana sunt concessae. Latini tamen & peregrini speciali interdum e concessione jure connubiorum gaudebant n). Quas concessiones, libera adhuc republica populi suffragio permittas, o) imperatores postea sibi vindicaverunt. p) Tandem Antoninus Caracalla eo audaciae processit, ut omnibus, imperio Romano subjectis jus connubiorum largiretur. Unde Prudent. q) quem hunc in finem allegat. Gubert. Costanus.

Disantes regione plagae, divisaque ponto
Littora conveniunt nunc per vadimonia ad unum
Et commune forum, nunc per commercia & artes
Ad coetum celebrem, nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii. Nam sanguine misto
Texitur alternis e gentibus una propago.

- a) pr. J. de nupt,
b) Ulp. fragm. tit. 5. §. 4.
c) Elem. juris civ. §. 150. ibique nota,
d) L. 13. §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult.
e) §. 3. legis cit.
f) L. 10. in f. ff. de ritu nupt. §. 12. J. de nupt,
g) L. 15. ff. de ritu nupt,
h) L. 31. ff. de jure fisci, §. 1. J. de nupt. §. 2. J. de patr. pot. L. 1. de hered. instituend. L. 8. ff. qui test. fac. poss.
i) L.

- i) L. 31. ff. de jure fidei.
- k) Plin. epist. 4. ad Minut.
- l) De pallio.
- m) Epist. ad Atticum.
- n) Ulp. fr. Tit. 5. §. 4. Paull. sent. 19. 6.
- o) Livius hist. L. 38. c. 36.
- p) Gruter. p. 573. 2. p. 575. I.
- q) Adv Symmach. II, v. 612.

§. 8.

II. *Respectu status* matrimoniorum quoque habita est ratio. Quare nullus libertinus ingenuam, nec ingenuus libertinam priscis temporibus ducere audebat. Sctum enim illud, quo Hispulae libertinae est permillum, ut enubere possit, neque id ei, qui eam duxisset, fraudi esset, dat ei exceptionem quae & hic in casibus non exceptis regulam firmat. Haec tamen sanctio lege Papia Poppaea postea est sublata, quae omnibus libertinae conditionis aditum ad ingenui penates patefecit excepto ordine senatorio. Nihilominus tamen libertinas ducturi veniam a principe impetrare solebant. a) Cum servabus autem ingenuos nuptias celebrasse, nullibi legere memini. Quod adeo nefas habitum inter veteres, ut mulier libera, ferviles seclata amones, ter admonita a servi domino, nec tamen deterrita, huic in servitute addiceretur cum omnibus bonis, e Scti Claudiani dispositione; ejus historiam exhibet Tacitus. b)

III. *Intuitu ordinis.* Cautum est, ne patricii e plebejis aliam quam sibi matrimonio jungerent; cujus placiti auctores decemviri perhibentur

B

hibentur



hibentur. c) Contendit equidem Hannekenius, Canulejum, tribunum plebis, hanc senatui legem extorsisse. Quod tamen est a veritate alienum, quum ipse Canulejus, uti plebis decebat defensorem, adeo illi repugnat teste Livio, cujus haec sunt verba: *Hoc ipsum, ut connubium patribus cum plebe esset, nonne decemviri tulerunt paucis his annis pessimo exemplo publico, cum summa injuria plebis. An esse ulla major aut insignior injuria potest, quam partem civitatis, veluti contaminatam, indignam connubio haberi?* Quis, quaeso, jam contendat Canulejum, ejus legis, cui adeo refragatur, fuisse auctorem.

IV. De impedimento cognationis hoc loco differere foret longum, quum jam fufius hac de re commentati sunt Thomas. Hanneken. & Brissonius.

V. Ratione damni e nuptiis metucndi, prohibitaerant nuptiae inter adulterum & adulteram, raptoremque & raptam. Haec impedimenta nuptias simpliciter difimebant. d) Inter praesidem & quemlibet, qui munere publico fungebatur in provincia, mulieremque provincialem. e) Contra hasce leges si qui coirent, nec vir, nec uxor, nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligebatur: Adeoque nec pater in liberos tali ex matrimonio prognatos, patriam acquirebat potestatem. f) Polygamiam Romanis illicitam Helius Cecina lege quadam, nunquam tamen observata, introducere est ausus. Antonii ergo exemplum nil, nisi libidinem hominis probat; g) nec Valentiniani junioris constitutio, polygamiam concedens, unquam posteros ad eam allexit.

a) Tho-

- a) THOMAS. de usu pr. L. de nupt. p. 48. & 49.
- b) Annal. L. 12. Pauli. sent. rec. L. 2. & 21. l. un C. de Scto CLAUD. toll. §. 1. l. de successi. sublat.
- c) LIVIUS L. 4. c. 4.
- d) L. 26. ff. de ritu nupt. L. un. C. de rapt. virgin.
- e) §. 12. l. de nupt. HEINECC. Comm. ad leg. Jul. & Pap. Popp. t. II. c. 6. CAJI Inst. L. I. tit. 4. §. 9.
- f) PLUTARCH. vit. Ant.

§. 9.

His praemissis tendimus ad modos, quibus veteres jugale vinculum subiere. In limine statim binas uxorum formae occurrunt; altera, quae in manum mariti convenerat; altera, quae neglecto hoc ritu sollempni, caput obnubebat. Haec matronae; illa matris familias honorato est salutata nomine. Sic enim CICERO a) *Genus est uxor, ejusdem duae formae. Una mater familias, earum, quae in manum convenerant; altera earum, quae tantummodo uxores habentur.* Idem- que VLP. b) confirmat, utramque speciem egregie discernens.

a) Top. c. 3.

b) Fragm. 9, II. §. 13, fr. 16. §. 6. fr. 19. §. 18. & 19. fr. 26. §. 7. & 29.

§. 10.

Haec in manum conventio, brevibus definitam si cupias, est pactum inter marem & feminam de transitu in illius potestatem, intervenientibus nuptiis. Manum enim apud veteres potestatem, dominium α) ac imperium β) designasse, his verbis asserit VLP. γ)

est

est manumisso de manu missio. Nam quam diu quis in servitute est, manui & potestati suppositus est: manumissus liberatur a potestate. Hinc in manum alicujus venire idem est, ac ejus potestati subijci. Conventio in manum est conventio inter virum & feminam, quae haec, illi nubens, se suaque omnia bona ejus potestati, vel illius, in cujus manu mancipioque maritus est, addicit. Idem fere GELLIVS b).

a) Manu designatur dominium, quia servi in manu esse dicebantur, qui ad classem rerum relati, in dominio erant. THEOPHIL. pr. I. de stipul. servor. VLP. Fragm. 19. §. 1. L. 32. §. 2. ff. de legat. 2. l. 32. & 209. ff. de R. J.

β) Manus pro imperio accipitur, quia patriam significat potestatem. Liv. 34. 3. §. 6. l. quib. mod. jus patr. pot. l. 28. ff. de adopt.

a) l. 4. ff. de l. & l.

b) IV. 3.

§. II.

Tribus modis conventio ista in manum absolvetur, scilicet coemptione & usu a). Confarreationem diserte tradit VLP. b) de coemptione & usu CICERO c). Totam hanc triadem complectitur SERVIVS d).

a) ARNOB. adv. gent. IV. BOETH. ad Cic. Top. III.

b) Fragm. IX. l.

c) Pro FLACCO c. 34. In manum convenerat, sed quaero, usu an coemptione?

d) Ad GEORG. l. I. ad vers. teque sibi generum.

§. 12.

E loco CICERONIS citato plures argumentantur, confarreationis & coemptionis ritum haud discrepare, eo quod ille confarreatio-

nis

nis haud meminerit, solam coëmtionem & usum enumerans, confar-
 reationem silentio haud praeteriturus, si revera inter eam & coëm-
 tionem differentiae aliquid haberet locum a). Quod THOMASIVS b)
 innuere videtur, putans, coëmtionem fuisse ritum in confarreatione
 accessorium. BACHOVIVS c) existimat, confarreationem fuisse spe-
 cialem sollempnitatem, observandam praeter coëmtionem in nuptiis
 pontificum & flaminum, atque ita in universum duos tantum exti-
 tisse modos ducendi uxorem. Censet NICOLAVS ABRAMVS d) iisdem
 nuptiis confarreationis & coëmtionis ritus contineri, & inter utram-
 que nihil esse discriminis, praeter nomen, confarreationemque haud
 ipsas fuisse nuptias, sed potius ritum quemdam, nuptiis, jam antea
 rite contractis, accedentem. A vero autem, quum ista omnia ali-
 quantum aliena videantur, litem, ut ego quidem opinor, sic licet
 dirimere. Quamvis coëmtio in confarreatione jam olim sit adhibita,
 ritus instar accessorii, Romani tamen sequenti aetate coëmtionem so-
 lam retinere, neglecto confarreationis pristino ritu; idque imprimis
 factum, tum ad difficultates sollempnium evitandas, studioque conser-
 vandae patriae potestatis, tum ob sumptuum evitacionem, acceptissi-
 mamque utrique sexui divortiorum licentiam e), quae in confarreatis
 nuptiis difficillima erat impetrata, quia confarreatio sacrorum commu-
 nionem inferebat, non nisi disfarreatione tollendam, quae teste FE-
 stro f) tanquam genus sacrificii, sola pontificum fiebat auctoritate,
 eamque ob rem rarissime solebat accidere; quum repudii g) exem-
 plum non exstet usque ad annum DX. A. U. C. Divortiorum autem
 libertatem multum contulisse ad abolendum confarreationis ritum re-
 stantur

struntur crebra deinde, uti e JUVENALI h) & MARTIALI i) adparet Romarum cum uxoribus facta divortia. Ipsam vero confarreationem in desuetudinem abiisse e TACITO constat; ubi TIBERIVS imperator flaminem dialem in locum SERVII MALVGINENSIS defuncti legens, ait: *neque adesse eam copiam* (patrimonorum scilicet) *omissa confarrendi assuetudine, aut inter paucos retenta k).*

a) HYBER. prael. ad ff. n. 2. de ritu nupt.

b) c. l. §. 7.

c) Vol. 2. disp. 6. thes. 5. lit. a.

d) Comm. in orat. CIC. pro M. COELIO p. 431.

e) HOTOMANN. de vet. ritu nupt. cap. 20. CAR. SIGON. ant. juris civ. l. I. c. 9. LAVR. BEGER. cont. gemm. dactyliothe. GORLAEI p. 28.

f) Voce confarreatio.

g) Repudium dissolutionem & sponsaliorum & matrimonii; divortium vero solius matrimonii, designare dicit l. IOI. §. l. l. 191. ff. de V. S.

h) VI. 20.

i) Epigr. VI. 7.

k) GREGOR. THOLOSANVS synt. l. 9. c. 5. §. 32. RAEVARD. ad leg. XII. tab. aliquantulum primum desecit, tandem vero eandem ingreditur yiam. MERCERY ad ALEX. 2. genial. diem. 5. p. 267.

§. 13.

Vt tamen nihil memoratu digni praetermittamus, sponsalia prius excutienda se nobis offerunt. Quae a spondendo nomen duxisse & veteres comici a), & jus nostrum b), & ipse modus, quo illa iniebantur, luculente comprobant. Forma eorum haec erat, ut ista conventio

ventio nec clam nec furtim, sed testatione interposita fieret c); ad quam decem adhibiti testes videntur. Sic enim AMBROS. d) *si inter decem testes confectis sponsalitiis*. — Tota sponsaliorum sollemnitas convivio fiebat. Scriptura etiam plerumque adhiberi solebat, unde JUVENAL. e)

— — — *Veniet cum signatoribus, auspex,*
& alio loco idem f).

*Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis
non es amaturus.* — — —

Quia jus nostrum ad probationem matrimonii necessario requirit instrumenta dotalia, quae plerumque continebant conditiones de dote, conditionibus, donationibus &c. interpositis saepius stipulationibus. Moris enim veteribus fuit, stipulari & spondere sibi futuras uxores g). Formulam stipulationum comici suggerunt. Annulus pronubus & osculum accedebant, muneraque sponsalitia huic conventioni. Interdum haec ea lege data, ut nuptiis impeditis repeterentur: quae de re si nil conventum, ratae donationes manebant. CONSTANTINVS postea sanxit, si per donatorem steterit, quo minus nuptiae sequerentur, donum donatario relinqui; si per eum, qui acceperat, restitui; si mors nuptias impediisset, osculumque intervenisset, sponsi donata, dimidia tantum e parte reposci; quod autem sponsa donasset, sive dato, sive omisso osculo, totum reddi h). Arrhae ab his donationibus tribus modis differunt: namque a sponso tantum illae dantur: cujus si culpa fiat, quo minus sequantur nuptiae, amittuntur; sin vero sponsae noxa, minor XXV. annis simplex; major duplum reddit i), deni-

denique post mortem alterutrius arrhae repetuntur k), non vero donata. Diximus, sponsalia etiam a modo, quo iniebantur, nomine traxisse: uxorem enim ducturus ab eius patre in matrimonium illam sibi stipulabatur; hic vero vel dabat repulsam, vel filiam spondebat. Sic enim PLAVTVS l).

M. Quid nunc etiam mihi despondes filiam? E. Illis legibus, cum illa dote, quam tibi dixi. M. Sponden' ergo? E. Spondeo.

Nascitur inde discrimen inter sponsam, pactam atque speratam. Sperata dicitur virgo, antequam petitur; dehinc vel pacta, nudo pacto promissa; vel, interpositis stipulationibus, sponsa m).

a) PLAVT. TRIN. V, II, 32. POENUL. V, III, 34. CVCVCL. V, II, 74. AYLAR. II, II, 77. TERENT. ANDR. I, I.

b) L. 2. l. 3. ff. de spons.

c) L. 7. ff. ibid. l. 3. ff. de concub.

d) ad virg. Lapt. c. 5.

e) X. 336.

f) Sat. XVI.

g) SERV. SVLP. apud GELL. I, I.

h) L. 15. l. 16. C. de don. ante nupt.

i) L. 5. C. de sponsal.

k) L. 3. ibid.

l) Aulularia.

m) Nonius de propr. sermon. V. 69. Arnob. adv. gent. III. p. 140.

§. 14.

Quamvis sponsalia stipulatione & desponsatione absolventur, hoc tamen hic singulare & plane naturae stipulationum repugnans

guans occurrit a), quod absens absenti desponderi poterat b), modo absentibus non in sciis fieret, aut ratihabitione eorum subsequente, c) Unde conjicio, hanc desponsonem, quod attinet ad formulam verborum, intra fines stipulationum sese continuisse; quod autem ad vim obligandi, ad pacti nudi accessisse rationem d). Antiquissimis temporibus haec omnia aliter sese habuere. Ait enim Ulp. e) moris fuit *veteribus* stipulari & spondere sibi uxores futuras. Patet exinde, Ulpiani aequo in desuetudinem abiisse stipulationem, substituta ejus in locum pactio- ne, quod scilicet ad vim obligandi attinet; nomine adhuc, haud quaquam re ipsa usitata auctoris nostri tempore. Quod vel inde magis adhuc adparet, quod etiam nuncius & epistola in hoc negotio lo- cum habuit f).

a) Docet enim §. 4. I. de inutil. stipul. alterum alteri stipulari non potuisse.

b) L. 4. ff. de sponsal.

c) L. 5. ibid.

d) Producebant enim obligationem inefficacem ex qua ob infinitam repu- diorum licentiam nulla dabatur actio. L. 1. C. de sponsal. l. 2. C. de repud.

e) L. 2. ff. de sponsal.

f) L. 4. l. ult. ibid.

§. 15.

Sponsalia, quia sunt conventionum species, consensum de- sponsatorum necessario requirunt a), ita tamen, ut aperte non con- tradixisse sufficiat b). Aetas peragendis sponsaliis necessaria haud lege- positiva, sed denegando hanc facultatem infantiam nondum egressis definita est c). Infantia enim omni omnino obstat consensui.

C

a) L. 7.

- a) L. 7. ff. de spons.
 b) L. 12. ibid.
 c) L. 14. ibid. N. LEONIS 109. *Minor septem annis sponsa esse nequit*

§. 16.

Sponsalia conventionum classi annumerari, haecenus demonstratum est, quod arrharum dationibus ulterius corroboratur; a) quarum eminentior, ac ubique recepta species erat annulus pronubus b) quem sua aetate PLINIVS c) ferreum, nulla gemma ornatum; TERTVLLIVS autem, aureum fuisse asserit d). Haec inter se pugnantia Junius ingeniose conciliat, inquiens, sponsum arrha quadam desponsationem firmaturum, aureo sponsum annulo; ferreo autem in signum mutui amoris fideique conjugalis donasse. Hoc certum est, ferreum istunc annulum in pignus servandi vicissim amoris datum esse e). In quarto, manus sinistrae a pollice digito hunc annulum gestare solebant desponsatae, superstitiose, sanguinem ab eo per venam ad cor usque porrectam, ad hoc refluere, cumque sanguine mixtum amorem ad pectus gliscere, sibi persuadentes f). Quae quamvis opinio a recentiorum schola anatomicorum explosa fuerit, ab ista tamen consuetudine digitus ille *annularis* est denominatus.

- a) PAVLL. sent. l. 2.
 b) TERTVLL. de cultu feminar.
 c) Hist. nat. l. 33. c. 1.
 d) Apolog. c. 6.
 e) ISIDOR. HISPALIENS. de divin. offic. c. 15.
 f) AGELL. l. 10, c. 10. MACROB. l. 7. c. 13.

§. 17.

Annulis nullis, nisi quibus sponsam sponfus donarat, usae sunt apud Romanos feminae, haud pluribus, quam binis, superbientes, quare digitus, annulis conspicuus, sponsae certus fuit index a), aeque ac apud majores nostros, quorum filiae nunquam gestabant annulos, nisi in signum promissae fidei conjugalis: cui annulo tantum fidei est habitum, ut ipsi probationi desponsationis, forsitan negatae, in judicio suscipiendae, inserviret. Unde paroemia illa, olim efficacissima, nunc in foris nostris auctoritate destituta: *Ist der Finger bringet, so ist die Jungfer bedinget* b).

a) ISIDOR, HISPALIENS. Etymol. 20.

b) EISENHARD, p. 96. HOFFM. de Jurispr. Germ. symbol. §. 5.

§. 18.

Abolutis rite sponsaliis, sacris connubialibus dies dicebatur peragendis. Qua in re haud parum superstitioni erant veteres, qui faustos felicesque nubentibus dies esse alios, alios sinistra omnia mala omnia ipsis minari, rati, haud temere, sine omni delectu, quovis die nuptiarum sollempnia pergere audebant. Tali religione ducti Majum & primam Junii partem, utpote menses nuptiarum ratione maxime inauspicatos, refugebant. Unde in trivis decantatum illud: *in mense Majo nubunt malae, cujus meminit OVID.*

— — *Si te proverbia tangunt;*
in mense malas Majo habere vulgus ait.

C a

Calendas

Calendas etiam omnes, Nonas Idusve parentalia & saliorum festum summopere vitanda prima duxit aetas a). Cujus rei aliam alii in medium asserunt causam, sed mea quidem sententia ratio est in promptu. Omnes postriduanos dies post Calendas, Nonas & Idus atros fuisse liquet, quibus sacris operam dare, aut quamcunque rem novam incipere, proelia tentare, delectum militum habere, solv. ratem ac pelago sese committere nefas putabatur. b) Primo autem nuptiarum die verecundiae dato, sequenti nova conjux curam domesticam in se suscipere, ejusque sub auspiciis in aedibus mariti sacrificare solebat c). Utrunque atro fecisset die, si Calendis, Nonis vel idibus viro nupsisset; quo non tristius utriusque conjugii foret omen.

a) OVID. FASTOR. II.

b) MACROBIUS.

c) JUV. VI. 203. HORAT. Serm. II. 2. 60. MACROBII Saturnal. l. I. c. 15.

§. 19.

Alii hujus rei aliam asserunt causam. Sic apud VARRONEM VERRIVS FLACCVS, juris pontificii admodum gnarus, dicere fertur solitus: feriis quum veteres fossas tergere liceret, novas aperire fas haud esset, ideo viduarum nuptiis magis, quam virginum idoneas fuisse ferias: quod tamen per jocum dictum esse arbitror. Alii sic autumant: feriatos hosce fuisse dies; feriis autem vini cuiquam fieri, nefas esse. Haec posterior causa tamen ad viduas; utraque vero ad Nonas, utpote non feriatos dies, applicari haud potest. Haec de infausis nuptiarum

nuptiarum temporibus; sequuntur jam boni omnis dies, inter quos
 primum occupant locum, omnes dies post Idus Junii testante OVIDIO a).

Hanc ego quum vellem genero dare, tempora tacidis

Apta requirebam; quaeque cavenda forent.

Tunc mihi post sacras monstratur Junius idus,

Utilis est nuptis; utilis esse viris,

Primaque pars hujus thalamis aliena reperta est,

Nam mihi sic conjux sancta Dialis, ait.

Plenilunium quoque auspiciatis temporibus annumerandum b).

a) FAVOR. l. 6.

b) ROSIN. p. 967. & Sylva auctorum ab eo laudata.

§. 20.

Nullam olim rem majoris momenti, nisi auspicato, ne pri-
 vatim quidem apud veteres esse gestam, affirmat CICERO a). Cujus
 rei testes sua adhuc aetate nuptiarum auspices allegat, quibus tamen,
 rei testes sua adhuc aetate nuptiarum auspices allegat, quibus tamen,
 re omisa, nomen solum superesse dicit. Veteribus itaque nullae ce-
 lebratae sunt nuptiae, nisi prius rite capto auspicio. Quin nefas at-
 que funestum habitum, si qui neglecto eo instrumenta signarent. Die
 igitur conscribendis pactis dotalibus dicta, auspices in sacellum noctu
 & sub auroram abibant b) omnis capiendi causa cui PLUMNUS &
 PICUMNUS Dii praesidebant. Orientem observantibus optimum ab
 accipitre circo desumptum omen c); melius adhuc a turba cornicum d).
 Laetum etiam ab aethere fulmen nuptiis signum e). Coeli vero aut
 terrae motus tristia omnia nubentibus portendebat f).

C 3

a) De

- a) De divinât. VALER. MAX. II. I. VIRGIL. AENEID. I. JUV. X. PLAVT.
in prol. Cal.
- b) C. TACIT. de nupt. SILIT. & MESSAL.
- c) PLIN. L. X. c. 8.
- d) AELIAN. de Nat. anim. III. 9.
- e) CLAUD. rapt. II. v. 230. Cujus rei rationem hanc esse arbitror, quod
aqua & ignis, tanquam potiora elementa, in nuptiis sint adhibita.
Hinc VIRGIL. L. IV. de nuptiarum praefatio DIDONIS cum AENEAE
— — *Fulsere ignes & conscius aether.*
- f) SERV. ad L. IV. AENEID.

§. 21.

Dos ad essentiam coniubii apud Romanos priscos ita pertinebat, ut, illa deficiente, concubinatus magis esset, quam matrimonium a). Recentiores juris dispositiones ex affectu maritali magis quam e dotalibus instrumentis metiuntur matrimonium b). Scias igitur, ne erres, matrimonio semper adhuc dotem ita adhaerere, ut illo deficiente, nec dos intelligatur c). Non enim naturalis rei ratio patitur has se jungi ideas, quum deur ad ferenda futuri matrimonii onera.

- a) §. 13. I. de nupt. I. 10. L. II. C. de nat. lib.
- b) L. II. C. de repud.
- c) L. 3. ff. de jure dot.

§. 22.

Nuptias tribus apud Romanos modis esse celebratas, supra jam est demonstratum. Leges autem quaedam solo consensu matrimonium

monium contrahi statuunt a). Quomodo haec concilianda? Ita scilicet: matrimonium solo equidem consensu iniebat, hoc est; a dato consensu b) tempus incipiebat, quo effectus civiles in matrimonio locum habebant. Post maritalis consensus declarationem autem coemptio, vel far, vel usus interveniebat, ut constaret, qua forma matrimonium esset initum, ob diversos generum istorum effectus. Domum deductio eadem ratione, qua consensus maritalis, omnibus huiusmodi modis erat communis, non tamen ad essentiam matrimonii perticiens c) accessit contractis jam nuptiis, eum in finem, ut publice de contracto constaret matrimonio d). Qua de re nunc aliquantulum differere deinde autem confarreationis ritus, quantum e paucis antiquitatum, quae ad nos pervenere, monumentis, erbere licet, sedulo perferuari, mihi est animus.

a) L. 30. ff. de R. I. l. 15. de condit. & demonstr.

b) Consensus maritalis, si quis eum definire velit, est viri ac feminae legitima declaratio mutuae voluntatis matrimonium jam actu inveniendi.

c) L. 22. C. de nupt. l. penult. pr. ff. de donat. int. vir. & ux.

d) L. 15. l. 24. C. de nupt. l. 6. C. de donat. ante nupt.

§. 23.

Domum deductionis sollemnia omnibus communia fuisse nuptiis, docent veteres, quos hic enumerare foret longum. Rosinus eam non nisi sub noctis auspiciis esse factam, contendit, cui tamen opinioni jus nostrum evidentissimo adversatur testimonio a), prohibens.

bens; ne quis illum in jus vocet, qui uxorem ducit. Constat autem, praetorem die, non noctu, uti Germani medii, quod dicunt, aevi b) jus dixisse. Quid, quaeso, ista lex valuisset, si surgente solum Hespero Hymenaei sacra celebrata fuissent c)? Interea tamen, quum laudatus iste Rosinus luculentis suam fulciat sententiam auctoribus, mediam tentemus viam, sic litem dirimentes: hac in re nil determinatum fuisse veteribus, promiscue die aeque ac noctu uxores ducentibus.

a) L. 2. ff. de in jus vocando.

b) FREHER. de secret. jud. THOMAS. de orig. nat. & progr. jud. Westph.

c) Obijciat forsitan aliquis: quam ob rem facibus uti sint, si medio die uxores duxerint Romani? Respondeo: facies haud esse adhibitas, ut lucem ducentibus praerberent; quid enim quinque facies tantae hominum copiae, quae ad domum deductionem confluere solebat, profuisset? Sollemnitatis folius gratia usitatae sunt, uti jam e quinario eorum numero patet, quem nec excedere, nec minuere audebant Romani. Nec adeo est insolitum, medio die taedas sollemnitatis caussa accendere, quod quotidie adhuc in templis nostris usu videmus receptum.

§. 24.

Sponsa comta satis, atque satis ornata, palla ac supparo, caputio & strophio, induta, capillisque vitta in nodum collectis, his omnibus festo nuptiarum die genalia addidit ornamenta, zonam nimirum, flammeum, coronam & rectam stolam, qualem primam

Caja

CAJA CAECILIA texuerat a), a cuius felicissimo connubio haec res in usum venit, ut bonum foret omen matrimonio.

a) *PLIN.* L. 8. c. 48.

§. 25.

Flammeum, rica quoque dictum, lutei erat coloris, velando sponsae capiti adaptatum a); unde *nuptiae* nomen acceperunt, quia scilicet sponsa caput eo obnubebat; sponso contra ea nudo capite incedente. A summo capitis vertice dependens, humeros ac pectus illud tegebat, cuius rei testes sunt numi & lapides. Potiores hujus rei rationes adferunt viri eruditi, nimirum, ne a quopiam prius, quam a marito, videretur nova nupta, sive, ne pudicitia pollueretur alius aspectu. Unde *LUCIAN.* b).

Non timidum nuptae leviter teclura pudorem

Lutea demissos velarunt flammea vultus.

& *CLAUD.* c).

Et sparsos religant erines, & vultibus addunt

Flammea, sollicitum praevelatura pudorem.

alioque loco idem d).

Jam nuptae trepidat sollicitus pudor;

Jam produunt lacrimas flammea supplices.

Nec non *MART.* Cap. e).

Flammea virgineum quae obnubere soeta pudorem.

D

Ne

Nec in nomine derivando plane consentiunt auctores, aliis de flammæ colore illud flectentibus, aliis de lutea quadam herba, Latinis *Glastum*, Graecis *ισόζης*, appellata. Alii, PLINIUM sequuti auctorem, nomen haud deducunt a flammæ colore, sed a Flaminica, Flaminis uxore, quae, divortii cum conjugē licentia ipsi praecisa, perpetuo flammeum gestavit. Putant igitur, recens nuptas hoc Flaminicarum gestamine moneri, ut totam aetatem cum conjugē concorditer degant, nunquam ab eo segregatae. Quod vero si ita esset, mea quidem sententia *flaminicum* potius audiret velum, quam *flammeum* f).

a) CLAUD. 1. 2. de rapt. FESTUS 1. 6. & 1. 13.

b) II. 361.

c) L. II. de rapt. Prof.

d) Epithal.

e) L. 9.

f) A luteo colore hoc nomen esse ortum magis adhuc e praecipuo patet honore, in quo color iste a nubentibus est habitus. Non enim solum flammeum eo tinctum erat; sed & foccos luteos gestasse, testis est CATULLVS.

— — *Luteum cape foccum.*

& APULEJUS;

Cingulo subligati, pedes luteis induti soleis.

§. 26.

Coma sponsae hasta coelibari adornabatur, qua gladiator stat perfoctus. Non vero, ut ego arbitror, ipsa hasta, quod foret absonum, sed acu, vel alio instrumento, e talis hastae ferro fabricato.

cato. Varias antiquitatum enarratores hujus rei accumulunt rationes. Alii signum constantissimi matrimonii fuisse censent, ut, quemadmodum ista hasta firmissime inhaesisset gladiatoris corpori, ita quoque uxor cum marito arctissime copularetur; alii inde desumptum esse arbitrantur, quia matronae in Junonis Curitis, a ferenda hasta ita appellatae, erant tutela, quae Dea apud praesicos *Quiris* a) dicta, Curitis vocabulo a Saliis fuit nuncupata; alii coelibari hasta significatum esse autumant, fore, ut recens nupta filios enitatur, bellis & armis aliquando fortes, atque insignes: alii opinantur, uxores hoc signo maritorum subjectas esse imperio, quia hasta olim summæ potestatis fuerat insigne b). PLUTARCHUS autem in vita Romuli factum id esse contendit, ut eo indicaretur, primas Romanorum nuptias cum Sabinis vi atque armis esse conflatas; vel etiam, ad modestum neque pretiosum ornatum ea re acui sponsatas, duris quippe ac bellicosis junctas maritis; vel denique eo innui, solo ferro recissum iri matrimonium.

a) PLUT. QU. 87. OVID. FASTOR. II. 477.

— — *Quod hasta quiris praesicos est dicta Sabinis.*

b) Hastam cum diademate Hetruscorum regum insignia fuisse tradit JOH. AONIUS hist. Hetr. & Siccam de cent. jud. II. 3. atque a vetustissimis temporibus regiam potestatem iis designatam testatur JUSTIN. 43. 3. 3. *Ista aetate reges hastas loco diadematum gestabant, quas Graeci scepra dixerunt.* Unde VIRG. AENEID. XII. 210.

*Olim arbor, nunc artificis manus aere decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.*

§. 27.

Crimibus senis sponsa ornata virginum instar Vestalium a) tempora redimebat corona, e verbenis nexa b). Coronabatur etiam sponsus, quare CATULL. c)

Cinge tempora floribus suave olentis amaraci,
& CLAUDIAN. d)

Nunc sociat flores seseque ignara coronat,
Augurium fatale tori — — —

Cujus rei rationem hanc tradit CHRYSOSTOMUS, ut scilicet probarent se in gymnasio paternae domus egregia castitatis specimina edidisse. In quo tamen falsus esse videtur. Ad laetum ejusmodi diem majorem sollemnitatem celebrandum, coronas capiti imposuisse mihi persuadeo, teste TERTULL. e), qui moris fuisse, tam in publicis, quam privatis gaudiis frondes floresque adhibere, tradit,

a) SEX. POMP.

b) Idem.

c) Nupt. JUL. & MANL.

d) 2. Rapt. 140.

e) Apolog. 135.

§. 28.

Zona, qua cingebatur sponsa, e lana ovina texebatur, ad arcuissimum inter conjuges vinculum declarandum, ut, sicuti lana, si eam tollas, glomis inter se cohaeret, sic uxor cum marito con-

ciata

ciata esse deberet a). Cingulum illud, nodo junctum, Herculano, maritus, robusti instar Hercules, in lecto solvebat, uti multa aliquando foret prole insignis, aequae ac ille, in armis & toro fortis, septuaginta liberorum parens. Juno magna, nuptiarum solemnitati quae praesidebat, Cinxia ab hoc cingulo, nec non Solvizona denominata est b). Hanc religionem ab Atheniensibus, Romanos accepisse, vel inde patet, quod Athenis templum Junoni Solvizonae erat exstructum c) ubi novae nuptiae zonam suspendebant, a maritis solutam. Cum Dea Cinxia simul Virginensis praesidebat enodationi cinguli d).

a) CATULLI nupt. Jul. & Manl. Arnob. adv. gent.

b) APUD PAUSANIAM.

c) *ibid.*

d) AUGUST. l. 4. de civitate Dei.

§. 29. Tali decora cultu matris, aut alius cognatae feminae gremio inhaerens sponsa expectabat tempus, quo vi blanda a sponso abrepta penatibus ejus adduceretur. Qui mos vel in memoriam raptarum a primis Romae conditoribus Sabinarum fuit observatus; vel etiam cum XII. Tab. legibus e Graecia Romam transmigravit a).

a) Raevard, ad leg. XII. Tab. c. 21.

§. 30.

Rapta Deum Domidacum & Domitium invocabat; illum, ut ad optatos sponsi penates feliciter perveniret, hunc, ut in domo esset; Mantu.

Manturnum vero, ut cum viro maneret. Quo facto ad aedes sponsi sollemni cum pompa & comitatu ducebatur. Sponsae praeferebantur quinque a pueris faces, inter quos unus patrimus & matrimus eminebat praetextatus, reliqui vulgares Daduchi erant. Egregie hoc modo HANNERENIVS Festi Plutarchique contrarie asserta conciliavit, a) illo, unum puerum facem praetulisse b); hoc, nec plures, nec pauciores quinque facibus in nuptiis adhibitas fuisse, contendente. Varias hujus moris adfert rationes Plutarchus: vel quod numerus impar praestantior reliquis & nuptiis accommodatior haberetur; vel quod mulieres partum plerumque quinquies edant; vel, quod matrimonium ineuntibus quinque potissimum numina essent invocanda, utpote Jupiter adultus, seu perfectus; Iuno adulta, Venus, Suadela atque Diana, seu Lucina: Vel, quae Varronis potior sententia videtur, quod ab Aedilibus, plures solitis gestare faces, quam praetores, trinis modo utentes, ignem accenderent sponsi. Habes, lector benevole quam eligas rationem, quamvis saepe sit absolum, omnium ceremoniarum (nisi sit in promptu) investigare causam, quum permultae, casu sine dubio quodam introductae, in consuetudinem postea venere.

a) De cura domest. R. Diff. I. §. 23. Innuere hoc ipse Festus videtur inquiring: *Patrimi & matrimi pueri tres adhibebantur in nuptiis, unus, qui facem praeferet.* —

b) L. 14.

c) Problemat. I. 65.

§. 31.

Faces istae vel cereae erant teste PLUTARCHO a) vel e pinu & spina alba, unde VIRGIL. b)

Pro.

Pronuba nec castos accendit spinus odors.

& CATULL. c) —

Spineam quate taedam.

- a) Qu. R. qu. 2.
- b) In cirí.
- c) Epithalam, Mall.

§. 32.

Spónsam a 'patrimis duobus puéris ductam, tibicen, faces se-
 quens, praecedebat, hymenaeum canens. a) Deductam colus com-
 ta cum fuso & flamine comitabatur, in memoriam Cajae Tanaqui-
 lis, mirabilis lanificae, b) cujus lanam cum colo & fuso diu in tem-
 plo Saugi fuisse suspensam testatur Varro, e qua toga regia in^o fano
 Fortunaé texta est, qua Servius Tullius fuit usus. Utenfilia ad mun-
 dus muliebris, cunctaque, quibus utebatur recens nupta, cumero in-
 dita, a puero impubere, Casmillo dicto, portabantur. Cumerum,
 auctore SEX. POMP., erat vas opertum, nubentis continens utensilia,
 a similitudine cumerarum, quae erant palmeae aut sparteae, usui po-
 pulari destinatae, hoc nomine designatum. De puero ipso ejusque
 nomine vide VARRONEM c). Totam hanc pompam sequebatur frequens
 cognatorum copia.

- a) Alex. 1. 2. c. 5.
- b) PLIN. 1. 8. c. 48. PLUTARCH. qu. R. qu. 31.
- c) De ling. Lat. 1. 6.

§. 33.

§. 33.

Talem ducens pompam sponsa laetos inter strepitus atque tumultus, ad mariti properabat aedes, quarum vestibulum floribus multis ac fertis erat ornatum. Unde CATULL. a)

Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

Quum ventum esset ad fores, interrogatae nubentes, quanam essent? Cajas sese esse respondebant, vel ab introducibus hanc formulam: *ubi tu Cajus, ego Caja* b) in memoriam atque honorem Cajae Tanaquilis pronunciare jubebantur; cujus responsi hanc vim esse volunt plurimi: *ubi tu es paterfamilias, ego tibi ero materfamilias*. Sollemnitatem hanc alia, idem fere significans, excipiebat: quum nubentes laeas vittas aedium postibus annexerent, invocata rite Junone Cinxia, adipe lupino suillaque illos ungentes; illo, ne quid mali medicamenti vel veneni in aedes irreperet; hoc, ut seropharum instar forent foecundae. c) Ab hoc postes ungenti more uxores, quasi uxores, fuisse dictas, putat PLINIUS. d)

a) Nupt. Pelei.

b) PLUT. qu. R. qu. 30.

c) PLIN. l. 28. c. 10.

d) L. 29. c. 2.

§. 34.

His sollemniter peractis, haestabat ante vestibulum sponsa invitam sese ingredi simulans eum locum, illibata ejus ubi mox pollueretur pudicitia. A pronubis & paranymphis autem nihilominus subblata in atrium transportabatur puella, a) ne virginitate jam privanda
sacrum

saerum Vestae, limen pedibus tangeret. b) Ingressae tradebantur claves, in signum commissae ipsi curae domesticae. Facta clavium traditione in pelle ovili statuebatur, ut ea re denuo indicaret, sese lanificii fore studiosissimam. Lympha tum aspergebatur, quo intemerta, casta ac pura ad virum duceretur, c) cum quo aquam & ignem communicabat. d).

a) PLUT. qu. R. qu. 29.

b) VARRO apud Serv. ad l. 8. Aeneid.

c) VARRO l. 4. de ling. Lat.

d) PLUT. l. c.

§. 35.

Domum deductionis sollempnibus jam maxima e parte absolutis, novellae conjugii comitibusque epulae geniales lautissimae in domo mariti parabantur, quibus majores, quam reliquis conviviiis sumtus impendendi ad divitias ostentandas potestatem dedit lex Licinia & Julia, legis Fanniae indulgentiam ratione coenarum nuptialium adhuc extendens, quae lautiori aliquantulum convivio laeto nuptiarum die convivias excipere jam permisserat. a) Quarum epularum hanc dedit rationem Athenaeus b), legibus & moribus sic esse situm: inquit, ut in nuptiis coena pararetur tam in Deorum nuptialium honorem quam testimonii causa. Epulas inter & inter pocula THALASSI nomen crebris lacebent invocationibus, quod Romuli jam aetate, teste Livio in nuptiis fieri solebat, c) Sabinarum raptu occasionem huic invocationi praebente. Alii tamen ad lanificium hujus vocis originem

E

pertinere

pertinere putant, inter quos etiam teste Sext. Pomp. fuit Varro, qui Thalassionem signum lanificii esse dicit. Thalassionem enim vocabant quasillum, qui alias appellatur *calathus* in quem omnia, ad lanificium necessaria indebant. Constat autem lanificio praeficas matronas praecipuam dedisse operam. In foedere etiam inter Romanos atque Sabinos haec addita est conditio, ut mulieres apud viros, quibus forte contigerant, manerent, si vellent, omnium operum vacatione, lanificio excepto gavisurae.

- a) Lege Fannia erat sancitum, ut certis & statutis diebus, ludis solum licet Romanis, plebejis & Saturnalibus centenos aeris; nuptiarum die CC. reliquis XXX. impendere conviviis liceret. Quam ad legem Lucilius poeta alludit, inquit:

Fannii centussis missellos.

Lex Julia deinde praefestis diebus CC. festivis CCC. nuptiis denique M. H. St. concessit.

- b) L. r. c. 19. Ubi & historiam & primam hujus ritus originem exhibet.
c) Ibid.

§. 36.

Siccatis jam scyphis, mediam circa noctem ludentibus pueris nuces spargebat maritus. a) Cujus rei potiore hanc suggerit Varro rationem, quam Servius refert. Nuces nimirum erant in Jovis tutela, unde & juglandes dictae, quasi Jovis glandes. Innuebatur igitur hoc ritu sollemni, Jovis maximi auspiciis matrimonium esse initum, uxoremque Junonis instar, castam atque fidelem marito esse futuram.

- a) CATULL. in nupt. JUL. VIRGIL. eclog. IX. *Sparge marite nuceos.*

§. 37.

Cum autem pueri in nucibus colligendis essent occupati Fescenninis omne strepebat coenaculum, carminibus admodum obscenis. Ex urbe Fescennina originem trahebant hi versus a), nascentis Romanae Musae primordia. Rustici enim frugibus collectis, finitisque laboribus, festos agebant dies, genio indulgentes, atque his verbis inter se ludentes b) unde HORAT.

*Agricolae prisci, fortes parvoque beati
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus Et ipsum animum spe finis dura ferentem
Cum sociis operum, Et pueris, Et conjuge fida,
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus Et vino genium memorem brevis aevi,
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit.*

Vindemiatores tum conviciis dicacibus vel irritabant praetereuntes; vel ab his lacesliti, ea regerebant. Unde idem. c)

*Tum Praenestinus falso multumque fluenti,
Impressa arbuslo regerit convicia durus
Vindemiator Et invictus, cui saepe viator
Cessisset, magna compellans voce cucullum.*

Hinc recte colligo, initio Fescenninos versus in quoslibet sine discrimine jaclatos, tandem ad nuptiales quoque penetrasse thalamos. Praeterea etiam haec carmina audiebant, quia spondae, praetextam deponenti,

nenſi, a pueris, ad nuptialem celebrandam feſtiuitatem confluentibus, acclamabantur.

a) Serv. Aeneid. VII. 695.

b) Epist. II. l. 139.

c) Sat. I. VII. 28.

§. 38.

Floribus interea fertisque lectus genialis adornatus a), toga fernebatur, geniiis mariti bonis invocatis. b) Deductae in cubiculum novae uxori aderat Mutinus Deus, pater Priapus alio nomine dictus, signum ejus turpe & obscenum, venerari cogebatur recens nupta, quae, quamvis adeo casti priscorum Romanorum ferantur mores, foedissima tamen patrare debebat. c) Hoc tamen pudicitiae ejus datum, ut fax praetextato, eam praeferenti, qui praeflux dicebatur, e manibus ab utriusque conjugis amicis raperetur.

a) Lyd. 2. S. C. p. 80.

b) ARNOB. adv. gent. l. 3.

c) Priapum venerandi ritum exponunt prolixius Lactantius I. i. c. 20. & AUGUSTIN. I. 6. c. 9. l. 7. c. 24.

§. 39.

Temerata jam magna e parte virgines pudicitia, adibat torum nuptialem uxor, in illo collocanda a pronubis, quae uni semel viro nupserant, futurae eam ob rem indissolubilis matrimonii omen.

§. 40.

§. 40.

Semota jam nuptiali turba, conticescente magis magisque
 enclavi, zona nuptiae enodabatur. Aderat jam maxima Juno, Deae
 Cinxiae sub nomine, ut rite fascesque illa solveretur; aderat jam sub-
 jugus Deus, Divaque Prema, quorum nomina indicant, cui quisque
 praefederit actui. Ea ratione, quae fuerat virgo, matronae vel mæ-
 tris familias honoratum adipiscebatur nomen.

§. 41.

Postridie nuptiarum celebrabantur repotia, in quibus aderant
 cognati, munera novellae conjugii impertientes, quae dona nuptialis
 apud Jctos audiunt.

§. 42.

Ad confarreationem ipsam transituro mihi historia ejus primo
 loco est excutienda, cujus de origine admodum dissentiunt viri eru-
 diti; Romulum aliis, aliis Numam Pompilium primuni ejus autorem
 laudantibus. PLINIUS a) cum PLUTARCHO b) Numae usum farris
 in sacrificiis attribuit; ROMULO autem SERVIUS c) e CATONIS frag-
 mento per indirectum cum assignat; *Latinos, iniquens boves immola-
 tos, priusquam caederentur, profugisse in sylvam.* Hinc igitur, quum
 immolare idem sit, ac mola, e sale & farre confecta, inspergere,
 farris usum jam ante Romuli tempora in Latio fuisse receptum, ideo.

que Quirinum sacrificiis suis id adhibuisse colligitur. Sed totum illud argumentum, e citato loco levi quadam conjectura, ductum & a nullo auctore expresse confirmatum, cui PLINIUS atque PLUTARCHUS expresse contradicunt, Numam nominantes, impugnare studebo. Concedo equidem, priscos Latii incolae farre jam in sacrificiis esse usos, quod & Virgilius Turni atque Anchisiadis foedera canens, testatur d)

*Illi ad surgentem conversi iuxta solem
Dant fruges manibus salsas — — —*

& Servius e): *Taurorum colla salsa mola spargebant.* Quin apud Macedones jam in usu fuisse videtur, panem adhibere ritibus sacris, cuius rei meminit Curtius f) qui, posteaquam ardentem Alexandri cupiditatem matrimonium cum Roxane inuendi expresserat; *Rex, inquit, iussit adferri patrio more panem: hoc erat apud Macedones sacratissimum coëuntium pignus, quem divisum gladio uterque libabat.* Ritus huius rationem addit idem auctor his verbis: *credo eos, qui gentis mores condiderunt, parco & parabili victu ostendere voluisse iungentibus oper, quantulo contenti esse deberent.* f) Adparet ex his, far, vel panem ex eo confectum non solum priscis Latii incolis, sed aliis quoque gentibus in sacrificando solleminem fuisse, & maxime religiosum. Usum itaque farris adversariis concedo, hoc tamen nego, Romulum farris usum, quamvis in Italia receptissimum, sacrificiis suis & conventioni in manum addidisse, indeque distinctam speciem conveniendi in manum esse enatam. Quis enim, quaeso, ita ratiocinaretur? Farris usus obtinuit in Latio, ergo & Romulus illum in sacrificiis induxit,

g) pr

g) parum de PLINII PLUTARCHIQUE, scriptorum fide dignissimorum
 testimonio sollicitus, quorum in manibus sine debio veterum institu-
 torum erant enarratores, temporum injuria amissi. Huc etiam, si con-
 jicere liceret, pertinet argumentum, e LIVIO ductum, qui copiosius
 commemorat, Numam, bellicosi regis Romuli successorem, summa
 in eo elaborasse cura atque sollicitudine, ut Deorum introduceret
 cultum, neglectumque restauraret. Romanorum enim efferatos ea
 tempestate animos armorum desuetudine mitigandos esse censuit Nu-
 ma. In eo autem versabatur studium Romuli, ut sanguini Martique
 assuesceret Romanos, & sine imperii annis magis magisque dilata-
 ret. Militiæ eum fuisse impigrum constat inter omnes, omnemque
 dedisse operam, novos uti urbis incolas ad militiam excitaret. Te-
 stantur hoc varia ejus instituta, & ludi imprimis cruenti, quibus de-
 inde maxime delectabantur Quirites. Numa igitur, ut suorum ani-
 mos, sanguinem sitientes & bella, aliquantulum leniret, atque ab ar-
 mis avocaret, pacis artes tractare, leges ferre, religionem inducere
 & aliena sacra multa amplecti coepit, pugnas sanguineas, bellaque
 ferocia, instituto suo contraria, refugiens. Ex hactenus dictis jam
 concludere licet, modum, per conventionem in manum matrimonia
 ineundi, a Romulo fuisse inductum, haud quaquam vero farris usum,
 tunc temporis in Latium equidem receptum, in sacris nuptialibus præ-
 scriptum, cujus ritus Numa deinde fuit auctor. Quæ opinio magis
 adhuc stabilitur lege sacrata vel regia, a Dionysio servata, in qua
 nulla confarreationis fit mentio, sed simpliciter, e *sacratissimis legibus*
convenisse, dicitur: unde unicam initio conventionis in manum spe-
 ciem

ciem fuisse apparet, reliquis postea additis. Refert quidem Dionysius, Romulum divini formam cultus instituisse, sed nihil obstat. Instituit equidem, verum ita, ut Romani ab armis & bellis nulla ratione avocarentur, quod deinde fecit contra Numa POMPILIUS, teste ipso JUSTINIANO h), cujus haec sunt verba: *Romulus & Numa, ille qui eam civitatem aedificans, hic autem legibus eam ordinans & exornavit.* Idem fere dicit ISIDORUS, cumque eo GRATIANUS.

a) L. I. 8. c. 2.

b) In Numa.

c) Ad VIRG. AENEID. XV. 341.

d) 12. 173.

e) AENEID. II.

f) Colligeret hinc forsitan aliquis, confarreationem quoque apud Macedones fuisse receptam: quod tamen falsum esse, ex sequenti § patebit.

g) Salii etiam ante Romulum jam erant noti in Latio, uti testatur VIRGILIUS L. VIII, Aeneid.

Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,

Populeis adsunt evincti tempora ramis.

Primus tamen Numa illos instituit DIONYS. Ital. II. 129. SERVIUS ad L. VIII. Aeneid. 1285; non vero Romulus.

h) N. 47. praef.

§. 43.

Jam ad ipsum modum confarreationis progrediamur, quam generatim exposuit ULPIANUS a) his verbis: *sarve convenitur in manum certis verbis, & testibus decem praesentibus, & sollempni sacrificio facta.*

facto, in quo panis quoque farreus adhibetur. Haec ULPIANUS, qui procul dubio ea omnia pluribus exposuit verbis, quorum tamen nihil ad nos pervenit. Alii itaque excutiendi sunt auctores, ut ex obscuris locis vel fragmentis, quid in hac re, cujus perpauci aliquam faciunt mentionem, verum sit, idonea augurari possimus conjectura.

§. 44.

Nullus unquam sollemnis apud Romanos celebrabatur actus, quin rite a sacrificio fieret initium a). In omni autem sacrificio constitutionem Numa de adhibendo sale & farre, pia a posteris mente semper esse servatam, copiosius e magna auctorum turba probavit GRUPEN b). Matrimonium sane desponsatis res maximi erat momenti, unde recte cum modo laudato auctore argumentor, neminem priscorum Quiritium torum conjugalem impie conscendisse, divinis rebus non antea peractis. Hinc patet, solum sacrificium, farre ac sale adhibito factitatum, formam confarreationis haud constituisse, quum in omnibus omnino sacrificiis illud haberet locum. Quis enim, quaeso, contendat, rem, cuilibet matrimonium ineundi modo communem, insigne fuisse, & characterem confarreationis? Oritur inde quaestio, qua ratione far sit adhibitum, ut confarreae inde nascerentur nuptiae? ad quam ita respondet GRUPEN; *eos fuisse ritus confarreationis, qui formam ejus constituerint*. Sed quomodo constituerint, in medio relinquit, rem obscuram verbis aeque obscuris interpretans. Hanc ego rem ita explicandam puto, quod tunc demum

confarreatae nuptiae, extiterint, quum vir & femina, eo animo, ut sese confarreatione jungerent, isto, quem nobis tradidit **ULPIANUS** modo, decem nimirum testibus praesentibus, sollemne hoc peragerent sacrificium, sale ac farre, certaue quadam, verborum formula addita. Qua de re, confarreationem definitam si cupias, modum fuisse dixerim, conveniendi in manum per sollemne sacrificium coram decem testibus, auctoritate pontificum verborumque formula quadam adhibita.

- a) **VARRO** ant. rer. div. 1. 14. apud **NON. MARCELL.** 7. 98. **SERVIUS** ad L. 3. **AENEID.** ad verba *operata juventus*.
 b) De uxore R. c. 4. §. 4. 5. 6.

§. 45.

De formula ista sollemni, cujus meminit **ULPIANUS**, nisi certi compertum habemus. Videtur equidem illa stipulationem aliquam continuisse, cujus tamen verba ignoramus. Aequae de decem istis, qui aderant testibus, veteres silent: idonea tamen conjectura non nulla erui posse putarem. Eos enim non tam probationis, quam sollemnitate potius gratia esse adhibitos, e denario eorum numero non dubiis colligo indicia. Secundum jus probationi duo sufficientes testes a) quoties itaque major eorum adhibetur numerus, sollemnitate, non probationis causa eos adesse satis apparet b) uti testamentorum disciplina testesque mancipationum & emancipationum aperte illud comprobant. Inde per analogiam juris concludo, solos cives Romanos

Romanos, puberes ac mares ad hunc actum esse admissos, remotis plane α) mulieribus, quae nullibi leguntur admissae, ubi sollemnitas causa testes requiruntur, quamvis eadem in codicillis haud profus rejectae sint, quia hic probationis causa testes adsunt γ) β) servis, γ) impuberibus, δ) surdis, mutis & coecis, natura ad hunc actum inhabilibus tali enim vitio laborantes haud quidquam eorum, quae aguntur, percipiunt d).

a) L. 12. ff. de testib. qui integer titulus ad materiam probationum, in iudicio suscipiendarum, pertinet.

b) Excipitur ternus testium numerus in pignore publico constituendo l. 11. C. qui pot. in pign. & quinarius in codicillis requisitus l. 8. §. 3. C. de iure cod.

c) HEINECC. elem. jur. civ. tit. de codicill. §. 684. & not.

d) Non ignoro equidem, omnes istos supra nominatos (mulieres scilicet, servos &c.) a testamentorum testibus fuisse exclusos, comitiis quia prohibebantur interesse. Quum tamen id ipsum, quod comitiis iis erat interdictum, meram sollemnitate[m] redoleat, idemque in testibus mancipationum & emancipationum sit sancitum, *Cajus apud Boeth. Comment. ad Cic. Top. III.*, hoc quoque de confarreationis testibus valere censeo, qui solius pariter sollemnitatis gratia aderant.

§. 46.

Addit non nulla ad confarreationis ritus spectantia **SERVIVS** a) afferens α) per pontificem M. flaminemque dialem frugibus & mola falsa conjunctos esse confarreatos conjuges. Postea vero sibi contradicere, reliquosque omnes profanos ab hoc ritu sollemnem excludere

videtur; ait enim: *nos apud veteres fuit flamini ac flaminicae, ut per confarreationem in nuptias convenirent.* Facili tamen negotio haec loca sibi contraria, totaque istam controversiam, inter viros eruditos agitatam, utrum scilicet confarreatio soli pontifici M. flaminique diali, an reliquis quoque Romanis usitata fuerit, conciliari posse, arbitrator. Solebant enim pontifices flaminesque, vel diuturna observantia adducti, vel lege etiam coacti, nullo alio modo, quam confarreatione, uxores sibi jungere: reliquis vero Romanis liberum erat utrum hac, vel alia ratione matrimonium inire vellent; hos enim a confarreatione haud fuisse exclusos, lippis & tonforibus est notum, & ab HEINECCIO b) nostro aliisque satis probatum. Sed ad propositum redeo. Per pontificem itaque M. juncti sunt confarreati conjuges testante Servio, quod admodum est verisimile, quia collegio pontificum omnia, quae ad religionem cultumque divinum rite instituentium spectabant, erant mandata, adeo, ut & ipse senatus res, huc pertinentes, cum pontifice M. communicaret, qui eas collegio suo proponebat latamque ab eo sententiam ad senatum referebat c). Res matrimoniales maximam partem ad religionem pertinebant, tum ob sacrificia & auguria, a quibus auspicabantur, tum ob sacrorum communionem inde enatam. Uxor enim penatibus suae familiae relictis mariti accipiebat penates. d) Quum autem summus pontifex collegio pontificum praesideret, ad eum prae reliquis curam confarreationis pertinuisse, est credibile. Quia vero uxor coemta eodem modo in familiam mariti transibat, hoc a Servio notatum ad solam confarreationem

ceationem haud est referendum, nec formam ejus notamque characteristicam constituit, sed ad coëntionem pariter applicandum, nequam vero ad matronam, quae mariti penates haud est amplexa. Non solum tamen per pontificem M. sed etiam vel per flaminicam, vel per Vestalem virginem hanc conjunctionem esse factam e numis quibusdam probavit GRUPENI, ut adeo aliquantulum errare videatur Servius. Sed forsitan hic de eo solum loquitur, quod plurimum fieri solebat, omiſſis casibus extra ordinem occurrentibus.

- a) GEORG. I. versu, *taque sibi generum. Aeneid. IV. liceat Phrygio servire marito.*
 b) Synt. ant. tit. de nupt.
 c) Liv. l. 34. c. 44. STROV. Synt. ant. Rom. c. 12.
 d) Quam ob rem etiam de arrogationum & adoptionum causis cognoscebat. GELL. l. 5. c. 19. CIC. pro Domo. 19.

§. 47.

Refert porro Servius, β) flaminem & flaminicam in sellis, ovili pelle stratis, pelle nimirum ovis, quae fuerat immolata, velatis fesside capitibus. Utrumque quolibet in conjugio factum esse sibi persuadet vir celeberrimus GRUPEN, velum illud pro flammeo habens, pellemque ovinam pro vellere, in quo rec us nupta, mariti aedes intrans, collocabatur: in quo tamen halucinari videtur, quia aliud est domum deductio, aliud consarreationis ritus sollemnis, de quo solo loquitur Servius, alterius nulla prorsus facta mentione; utriusque enim

actus rituum, temporis & loci ratione magnopere inter se differunt. Non intelligo etiam, qua ratione vir iste pereruditus velum illud cum flammeo possit confundere, quum liquide constet, solam sponfam; numquam vero sponfam flammeo fuisse opertum, Servio disertis verbis dicente. *Flaminem & flaminicam velatis resedisse capitibus.* Praeterea, quum idem auctor expresse flaminem & flaminicam nominat, eo ipso significare videtur, peculiarem eorum in confarreatione hunc fuisse ritum, iis solis usitatum, reliquis omnibus ab illo exclusis. Ad pellem quod attinet ovillam, quam GRUFEN non minus ad domum deductionis refert ritum, idem, quod antea, illi oppono argumentum. Liquet enim primum, non deductionis sed confarreationis a Servio fieri mentionem; deinde, pellem istam ad flaminis confarreationem in specie referri, tum denique etiam solam sponfam, domum conjugis deductam in vellere isto collocatam esse. Servius autem de pelle loquitur, in qua flamen & flaminica, adeoque ambo, tam sponfus, quam sponfa resedere.

§. 48.

Ultimo adhuc loco addit Servius haec verba; *confarreationes tonitru dirimit.* Nolo commemorare quam mire hic somniaverint interpretes, quum quidam adeo sibi persuadent, flaminem cum flaminica excitasse tonitru, eoque diremississe confarreationem. a) Quare autem & quomodo hoc factum sit, nemo facile explicabit. Non ignoro equidem, in ludis scenicis fulgura ac tonitrua imitatos esse Romanos, ad quod tamen efficiendum magnis machinis erat opus, quae in confarrea-

farreationis ritu locum habere haud poterant. Praeterea ad recentiora Caesarum, non ad prisca pertinet tempora haec inventio. Fingamus autem, hoc esse factum, nemo tamen intelliget, quidnam sibi voluisset flamen, ut confarreationem tonitru artificioso dirimeret inter desponsatos, qui arctissimo conjugii vinculo invicem jungi ardentissime cupiebant, eoque aderant consilio, ut votis suis satisfaceret. Verum summis viris interdum usu venire solet, ut nodum in scirpo, & quod est ante pedes, mari terraque usque quaque quaerant. Sensus hujus loci, paullum si attendas, satis est obvius. Quis enim est, qui nesciat, etiam comitia mali omnis signo turbata esse atque diremta, si vel bubo volaret a sinistra, vel fulgur coelo caderet, vel tonitru audiretur, vel aves triste quid portenderent b). Idem in confarreatione, ritu maxime religioso, fuit observatum, ut etiam tonitrua totum hunc actum turbarent, qui coelo sereno inceptus, subita tempestate coorta, fuit interruptus & in alium laetioris augurii diem dilatus: id quod Servius, quum quaedam de confarreationis ritu narraffet, in fine adhuc notare & adjicere voluit, hoc sensu: tonitru effecit, ut confarreationis actus interrumperetur, flamen tonitru monitus eum diremit, & in alium protendit diem.

a) GRUPEN c. 4. §. 12.

b) HEINECC. l. 1, tit. 2, §. 7.

§. 49.

Aquam & ignem in confarreatione adhibitum, caerimoniis, in domum deducione observatis, itidem adnumerat GRUPEN, cui
tamea

tamen sententiae idem oppono argumentum, quod supra jam latius deduxi. Dextrarum quoque conjunctionis meminit MERCERUS a) existimans, in confarreatione pontificem M. & flaminem dialem, in coëntione autem, alium quendam manus junxisse eorum, qui conubio coire volebant. Habes, Lector Benevole, omnia, quae in magna antiquorum monumentorum, litteris consignatorum, inopia hac in materia pervestigare mihi licuit, quam si quis plane exhaustio velit, magnopere in ea desudabit, tandemque operam & oleum perdidisse fatebitur.

a) Ad Alex. VI. 5.

§. 50.

Confarreationis ritibus maxima e parte, quantum fieri potuit, expositis, non incommodum videtur, de effectibus ejus aliquantulum adhuc disserere: qui cum prope omnes cum reliquorum conveniendi in manum modorum effectibus conveniant, hos nolo attingere, illos tantum excusurus, quibus confarreatio sola insignita, reliquis praestat. Pertinet huc, quod e solis confarreatis nuptiis patris & matris sunt nati, quorum de singulari natura atque ratione nunc agere constitui. Hanc autem materiam reputanti mihi, statim ingens virorum eruditorum sese offert dissensio, aliis hanc denominationem proli impertientibus, cujus uterque superstes est parens, aliis confarreatorum liberis eam adsignantibus. Quae sententiae, quarum utraque suis nititur argumentis, quamvis admodum diversae, facili

facili tamen negotio videntur conciliandae. Liberos, confarreatis
 prognatos parentibus, patrimos & matrinos esse dictos, ex quodam
 Taciti loco manifeste adparet, ubi Tiberius imp. flaminem dialem
 in locum Servii Maluginensis defuncti susceptorus, queritur, non adesse
 eam copiam (patrimorum scilicet) ommissa confarreati assuetudine,
 aut inter paucos retenta, tandem filium Servii in locum patris, fato
 extincti, subrogans. Hinc satis apparet I) errare, qui patrimos
 esse affirmant, quorum parentes adhuc vita fruuntur. Etenim quum
 nemo, nisi patrimus, flaminis dialis sacrum munus obire possit, non
 licuisset imperatori, in patris locum sublegere filium, qui defuncto
 iam parente, patrimis haud amplius erat adnumerandus. Patet porro
 ex citato loco II), solos e confarreato connubio genitos patrimos
 esse dictos, quo efficiebatur, ut aditus ad sacerdotia iis pateret: id
 quod magis adhuc ex Tacito liquet, qui filium defuncti flaminis le-
 ctum esse narrat; flaminem vero, non nisi confarratione sibi junxisse
 uxorem, jam supra Iululento Servii testimonio fuit probatum. Prae-
 terea minus intelligo, quid sibi velint TACITI verba, *neque superesse*
eam copiam, si de filiis foret sermo, quorum uterque parens adhuc
 erat superstes. Quis, quaeso, enim sibi persuadeat, in tam copiosa,
 qualis erat Roma, civitate, ne tres quidem esse inventos adolescentes,
 quorum parentibus vita adhuc suppeteret. Ad hos autem minime spe-
 ctasse TACITUM, verba ejus subsequencia aperte indicant: *omissa con-*
farreati assuetudine aut inter paucos retenta. Suffragatur huic sen-
 tentiae HEINECCIUS, quam expresse comprobatur Servius, GRU-
 PENIO rem in medio relinquentem.

G

a) In

a) In diversa abeunt Festus in voce Flaminia & matrimis ac patrimis. TIRAQUELL. ad Alex. ab Alex. OISEL. in GELL. I. 12. DACER. in Fest. Turneb. Adv. XXVIII. 20. VOSS. lex etymol. GUTHBERLETH. de Saliis 9. & alii, nulla tamen, quantum ego intelligo, auctoritate nixi.

§. 51.

Non equidem negare aulin, ad sollempnes ritus quosdam peragendos fausti omnis gratia prae aliis adhibitos esse pueros, puellasque parentibus adhuc vivis felices, a quibus saepe legimus in supplicationibus & lectisterniis cantata esse carmina, quod tamen opinioni meae haud repugnat. Horum enim puerorum quamvis potissimum in sacris ritibus obeundis habita sit ratio, nullibi tamen memoriae proditum invenimus, eos ad sacerdotia administranda prae aliis fuisse delectos, ad quae patrum tantum confarreatis parentibus orti, eaque re praecipue insignes, aditum habebant. Hanc igitur litem diremturus statuo, illis temporibus, quibus adhuc matrimonia confarreata contrahantur, solos ex iis natos patrumorum atque matrumorum nomine propter ipsorum praestantiam fuisse insignitos; confarreatione autem deinceps plane sublata, hanc denominationem refedisse in liberis, e legitimo quovis connubio susceptis, quorum tamen utrique parenti vita adhuc suppeditabat. A qua sententia, Taciti Serviique auctoritate factis confirmata, neminem mecum discessurum esse arbitror, donec probetur contrarium veterum auctoritate scriptorum, quorum tamen nullus, quantum ego scio, quoad confarreatio fuit usitata, liberos, utroque parente

parente adhuc superflite florentes, patrimonorum atque matrimoniorum nomine designavit.

§. 52.

Multis isti patrimi gaudebant privilegiis; nam saepe rebus sacris inserviebant; virgines Vestales ex iis legebantur, ad sollemniore ritus, utpote in domum deductione, adhibebantur, & id genus alia,

§. 53.

Disceidantur denique matrimonia confarreata disfarreatione, de cujus difficillima impetratione, utpote quae auctoritate pontificum fiebat, jam supra quaedam attuli. Fuit autem illa, notante Festo, genus sacrificii, quo maritus ab uxore sese seungebat. Disfarreatio dicta est, quia fiebat sacro libo adhibito.

§. 54.

Primis reipublicae temporibus divortium haud plane in arbitrio & potestate mariti fuisse situm testatur lex Romulea, quae causas divortii quatuor constituit quando nimirum uxor veneno prolem enecaverat claves subjecerat (quod Amiotus aliique de partus suppositione; XYLANDER vero eique suffragantes de crimine furti interpretantur, si uxor in adulterio erat deprehensa inficioque viro vino usa. Tunc factio divortio dos cedebat marito, clavibus uxori ademptis, tabulisque, sponsalitiis fractis. Secundum leges XII. tab. divortia

quoque locum habebant, ob verba Cic. sic ab Hotom. restituta: *Res suas sibi habere iussit, e XII. tab. Causam addidit, claves ademit, exegit.* Per DXX. annos tamen A. U. C. hac divortiorum potestate permissa nemo est usus, donec, pristina morum sanctitate fugata, omnimoda divortium cum conjuge faciendi tam feminis quam viris concessa est licentia. Solebat autem discidium moliens alter alterius mores in iudicio de moribus accusare, ut culpam a se averteret, & poenam iniusti evitaret divortii. Morum enim graviorum nomine sexta, leviorum, octava pars dotis innocenti addicebatur. Graviore mores erant adulterium, leviores omnes reliqui. Imperatorum de divortii constitutiones hoc loco enarrare nolo, quippe quum ad confarreatas hand pertineant nuptias, quae illorum temporibus jam in defuetudinem abierant. Sollemnes divortii formulae hae sunt: *Conditione tua non uxor, sive, res tuas tibi habeto.*

§. 55.

Haec sunt fere, quae de matrimonio priscorum Romanorum confarreato ex antiquitatum ruderibus eruere potui, in quibus pervestigandis multa cum laude defudaverunt viri eruditi, quorum inhaerere vestigiis, ac si fieri potest, illis adhuc longius progredi, nemini umquam est vitio datum. Forsitan uni alterique posthac plures veterum ceremoniarum atque ritus ab origine prima repetere atque in lucem proferre licebit; qua re efficitur, ut multa in jure nostro adhuc obscura pateant & legum non nullarum interpretatio reddatur longae facilius.

cilior. Grave quidem tali volendum erit saxum, cui tamen si opera,
huic studio insumta, pulcre processerit, fide mea spondeo, fore ut eum

Nunquam poeniteat duros subisse labores.

Thefes.

I.

Pignus legale mixtum non datur, sed mere legale est.

II.

*Praxis l. 15. ff. de adm. & peric. tut. contra N. 72. c. 6. & auth.
Novissime C. de adm. & peric. tutor male servat.*

III.

*Controversia ista, testamentum mysticum valeatne, nec ne, ita
componenda, ut valeat si testator nomen heredis in codicillis expresserit,
non vero, si illud schedulae cuidam mandaverit.*

IV.

*Vox privilegia in l. 24. §. 2. ff. de reb. auct. jud. poss. de prima
& tertia classe est accipienda.*

V.

*Liberi in testamento paterno instituendi sunt vel no-
minatim exheredandi.*

VI.

*Datur fidejussori beneficium cedendarum actionum, licet eidem re-
nunciaverit.*

...
...
...
...
...

Theles

...
...
...
...
...

...
...
...
...
...

...
...
...
...
...

...
...
...
...
...

...
...
...
...
...



Göttingen, Diss., 1786+87

ULB Halle

004 341 376



3

Sb.

f







Farbkarte #13

B.I.G.

Copy

D. JOANN. CAROL. ERNEST.
MÜNTER

1186,3
1786,5^b

TRACTATIO


DE

MATRIMONIO ROMANO

IN SPECIE

DE CONFARREATO.

6



GOETTINGAE,

APVD JOHANN DANIEL GOTTHELF BROSE. 1787.

